Nobilissime ac Amplissime Vir

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nisi ea esset animi tui generositas, ut cum illis, quos tuos in debitum facere voluisti, agere consuevisses, tanquam si nihil unquam beneficij illis dedisses, forsan in memoriam tuorum in me meritorum revocatus ornatissimum tuum filium mihi commendare non necesse iudicasses; cum omnium hominum, quos terra sustinet, ingratissimus forem, nisi quicquid in me est virium atque industriæ promovendis nobilissimi iuvenis studijs, etiam non rogatus, impenderem. Tibi enim, Vir Amplissime, præcipuè debeo, quod votorum meorum tandem compos eo in præsentiarum sim loco, ut maiori cum animi tranquillitate indagandæ veritati operam navare possim; quod cum semper & ubique in memoria sim habiturus, votis ad invidiam usque felicibus mihi frui videbor, illam subinde nancisci occasionem, qua aliquo saltem modo tibi debitam gratitudinem testatam facere possim. Etiam igitur atque etiam te rogo, ne dubites me obnixe id operâ daturum, ut nunquam præstantissimus tuus Ludovicus nisi cum insigni studiorum suorum progressu, ad te redeat. Non possum enim quin ab egregia eius indole mihi promittam, illum profutura suadentibus sedulo dicto audientem fore; ut hoc facto, quod generosiora semina alens, in ortus suos animosus expurgat. Unum est quod me male habet, quod nimirum, cum posteaquam manum ferulæ subduxi animum ad poesin nunquam appulerim, illi hac in ingenij cultura, ut quidem optarem, luce mea prælucere nequeam: exhorta

bor

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bornius_H) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4493

tamen ut amplissimi sui Parentis desiderio morem gerat. Declamationum exercitia quod attinet, sic iam animum induxeram, ut illis Collegiatas nostros cum formandi atque poliendi styli, tum acquirendae in dicendo Leunstatis ergo diligenter exercerem, quod illis apprime in vita utile futurum semper secum indicabi. Caeterum nullus dubito quin hoc nostrum Collegium ad summum assurgat splendorem, cum utrique Principi illud cordi tantopere esse videam: Illorum solummodo quorum curae atque fidei illud fuit commissum, futurum arbitror, ut summa ope intantur, liberaliori quodam agendi modo discentium nobilium studia ordinare atque promovere, ne, si secus fiat, studiorum pessum spes suorum frustrentur. Hactenus manum operi admovere mihi non licuit, imo ne quidem libris frui, cum ab illo die quo hic sum, cum amplissimi Hilteni filio eiusque ephoro uno eodemque, continuis operarum turbis obnoxio, cubiculo uti necesse habuerim. Verum spero de commoda sani habitatione brevi mihi prospectum iri, quod iam diu flagrantissimo desiderio expeto. Interea tibi, Vir Amplissime, quam humillime supplico ut, quemadmodum coepisti, patrocinio tuo me fovere pergas. Deum precor tuis studiis intersis, illisque te beet gratiae suae muneribus, quae capacissima mea vota supergrediantur.

Amplitudini tuae

Clarissimum Regium de propensissimo tuo in illum affectu, data occasione certiorem reddam.

Dabam Bredae prid: kal: Decemb: 1646.

Devotissimus
Henricus Bornius

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bornius_H) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4493

A Monsieur

Monsieur De Zuylechem
Conseiller & Secretaire de
son Altesse A la Haye

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bornius_H) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4493